BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

APPARATUS ERUDITIONIS AD JURISPRUDENTIAM *PRÆSERTIM* ECCLESIASTICAM,

IN QUO REVISO, AUCTOQUE,

(*Præter Juris Universalis Principia*)

JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM,

Apostolicum, & Provinciale, Jus Synodale Œcumenicum, Nationale ac Provinciale,

UNA CUM

PROVINCIARUM AC REGNORUM ECCLESIASTICO ET POLITICO STATU, Disciplina Ecclesiæ, Hæresibus exortis &c. continua Sæculorum serie ad præsens usque tempus deductum, insertisque IN HAC PRÆCIPUE NOVA EDITIONE pro re nata multis Observationibus criticis, ac Controversiis Juridicis, Publicis, ac Polemicis, METHODO HISTORICO-DOGMATICA colliguntur, & brevi ac clara idea delineantur,

In utilitatem Eruditionis amantium, quibus vasta Conciliorum, Decretorum, Historiarum &c. volumina perlegendi aut occasio aut tempus deficit,

AUTHORE

R. P. JOSEPHO BINER

SOCIETATIS JESU

SS. Theol. & SS. Canonum Doctore, horumque in alma Cæsareo-Leopoldina Universitate Œnipontana Professore Ordinario ac Publico.

PARS PRIMA.

DE JURE IN GENERE.



BONONIÆ, MDCCLIV.

Prostant

VENETIIS

Apud Andream Poletti.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

PRÆFATIO AD LECTOREM.

PRoviſum abunde eſt, ut Reipublicæ Litterariæ univerſim, ita quam maxime Juriſprudentiæ, libris innumeris, qui, tum variis in compendiis, tum ſpiſſis etiam voluminibus, Titulos in corpore Utriuſque Juris contentos, eodem ferme, paucis mutatis, tenore pertractant, adeo quidem, ut qui unum auctorem legerit, alios etiam plures legiſſe cenſeri poſſit.

Supervacaneum proin duxi, tritam illam toties viam velle ulterius complanare, meliuſque de re litteraria meriturum me putavi, ſi ulteriori Candidatorum Juriſprudentiæ eruditioni ſubſervirem, ac nova aliquantum methodo *Apparatum* quemdam *Eruditionis* ad Juriſprudentiam, præſertim Eccleſiaſticam, conſcriberem; quo videlicet Doctrinæ Juridicæ ſociaretur criſis Hiſtorica, & Canonum Legiumque ſeveritas eruditionis amœnitate temperetur: quo genere ſtudiorum nihil videtur eſſe jucundius, atque erudita hac ætate nihil utilius, nihil æſtimatius.

Quamvis autem blandiri mihi nullatenus poſſim, me in erudita hac diſciplina aliquid aſſecutum, amatorem tamen ejuſdem & æſtimatorem profiteor; conatumque ſaltem, ut ut materiæ dignitati imparem, Lector Benevole, habebis ratum.

Atque hoc quidem primo volumine tres partes, de *Jure in genere*, tanquam fundamento omnis Juriſprudentiæ, de *Jure Naturæ & Gentium*, de *Jure Divino & Apoſtolico*, atque de *Jure Synodali Univerſali*: In ſecundo vero volumine itidem tres partes, de *Jure Synodali Particulari*, de *Nationali* videlicet, *Provinciali*, & *Diœceſano*, cum Eccleſiaſtici & Politici Status deſcriptione Hiſtorica, per ſingula ſæcula continuata, Tibi porrigo; tertio volu-

mine *Jus Pontificium* in genere & ſpecie &c. complexurus.

Quoad Canonum Doctrinam ipſum Synodorum textum, ea, qua fieri poterat, brevitate & claritate, proponere ſtudui, ut, quibus numeroſos amploſque Conciliorum Tomos perlegendi aut otium, aut occaſio non ſuppetit, ſuccincta epitome doctrinæ ſubſtantiam, tamquam nucleum, ſub unum velut aſpectum ponat.



BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

PARS



PARS PRIMA.

DE LEGIBUS IN GENERE.

SUmmi momenti non tantum in utroque Jure, ſed etiam in Theologia eſt titulus ille Juris Canonici, qui *de Conſtitutionibus* inſcribitur. Dum enim legum naturam, varietatem, cauſas, effectus, ac proprietates examinat, generalia Jurium principia ob oculos ponit. Ut autem in tanta rerum ubertate ſervetur ordo, incipiendum a legibus in genere: tum vero ad varias legum ſpecies deſcendendum. In omni autem re, quæ tractanda aſſumitur, ea videtur eſſe aptior ad docendum diſcendumque ratio, ſi a definitione & diviſione ducatur initium, tum vero ad cauſas ejuſdem, proprietates, & effectus enucleandos progreſſus fiat. Sic enim, & ordini, & memoriæ quam optime videtur conſuli.

CAPUT I.

De Natura, varietate, & cauſis Legum.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit lex.*
2. *Quotuplex ſit lex.*
3. *Cauſa efficiens legis.*
4. 5. *Cauſa finalis.*
6. 7. 8. *Cauſa materialis & objectum legis.*
9. *Controverſia de actu interno.*
10. *Legislator Eccleſiaſticus poteſt præcipere actum mere internum.*
11. *Et jam ſæpius præcepit.*
12. 13. 14. *Solvuntur objectiones.*
15. *Non tamen legislator politicus, propter diverſitatem finis utriuſque Poteſtatis.*
16. *De cauſa formali legis.*
17. 18. *Promulgatio conſtituit eſſentiam legis.*
19. *Probabiliter non requiritur, ut lex Pontificia in Provinciis ſolemniter promulgetur.*
20. *Rationes hujus aſſertionis.*
21. 22. 23. *Solvuntur objectiones.*
24. *Et per ſe ſtatim obligat.*
25. *Acceptatio populi non requiritur ad conſtituendam legem, ſed tantum ad ſtabiliendam.*

QUÆSTIO I.

Quid ſit lex.

1. REſpondetur: *Eſt ordinatio rationis in bonum communi, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Ita definiunt paſſim S. Thoma 1. 2. q. 90. art. 4. in c.

Dicitur 1. *Ordinatio rationis*, ſeu rationabilis diſpoſitio ſuperioris, obligans ſubditos ad aliquid faciendum vel omittendum. Per quod differt *a conſilio*, quod nullam imponit obligationem, ſed tantum ſuadet.

Dicitur 2. *Ad bonum commune*. Per quod indicatur finis legis: quæ ſemper tendere debet ad bonum commune, ſeu ad bonum communitatis, moraliter unitæ ſub una gubernatione. Per quod differt lex *a præcepto* ſtricte ſumpto: nam lex fertur pro communitate, & afficit territorium legislatoris: præceptum vero imponitur perſonis ſingularibus, & adhærent perſonis ipſis. Sæpe tamen, *lex*, *præceptum*, *ſtatutum*, *jus* &c. in eadem ſignificatione accipiuntur. Unde leges Eccleſiæ dicuntur *præcepta Eccleſiæ*, licet in bonum communitatis ſint *Legis natura.* latæ.

Dicitur 3. *Ab eo, qui curam communitatis habet*. Indicatur hic legislator, qui nempe non tantum habet curam & poteſtatem dominativam, aut œconomicam, qualem habet Dominus in ſervum, pater in filium, maritus in uxorem, ſed *politicam*, *gubernativam* & *juriſdictionalem ſublimem*, quæ ſe extendat ad communitatem perfectam regendam.

Dicitur 4. *Promulgata*. Nam ut decretum, ſtatutum, præceptum, aut quæcumque diſpoſitio obliget ſubditos, debet iis ſufficienter eſſe intimata.

Colliges 1. Sententiam Judicis per ſe non eſſe legem: tum quia datur perſonis particularibus; tum quia non omnis Judex habet juriſdictionem ſublimem ad ferendam legem requiſitam. Unde ſententia eſt potius lata juxta legem, & ſic declaratio legis, quam lex.

Coll. 2. Omnem legem ad aliquid obligare. Unde etiam *lex irritans* obligat, actum irritatum habere pro nullo. *Et lex permittens*, licet non obliget eum, cui aliquid permiſſum eſt, obligat tamen alios, ne eum impediant, & reſpectu horum eſt lex.

Idem dicendum de *Privilegiis*, quæ ſunt quædam leges permittentes, obligantes alios, ne privilegiatum impediant ab uſu privilegii. Cedit autem in bonum publicum, non impediri eos, qui habent privilegium pro ſe, aut legem permittentem.

QUÆ-

BIBLIOTECA COMUNALE DI TRENTO

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit lex?

2. Resp. cum infra ad leges in specie simus descenduri, hic tantum obiter & in genere insinuatur aliqua legis divisio. Igitur

1. Lex alia est *Naturalis*, ab ipso nempe auctore naturæ scripta in cordibus creaturarum rationalium, & per lumen rationis promulgata.

Alia *positiva Divina*; quam Deus in sacra scriptura veteris, ac novi testamenti complexus est.

Alia *Humana*, quæ nempe hominem habet legislatorem. Eaque in *Ecclesiasticam* & *civilem*, *publicam* & *privatam* subdividitur, ut postea uberius declarabitur.

Legis varietas. 2. Dividitur in *Affirmativam* & *Negativam*. Affirmativa præcipit actum ponere; e. g. audire Missam die festo: & hæc obligat quidem *semper*, sed *non pro semper*. *Negativa* prohibet actum, e. g. furti: & hæc dicitur obligare *semper pro semper*. Hinc non teneris audire Missam pro semper; teneris tamen omittere furtum pro semper.

3. Alia est *Præceptiva*, quæ simpliciter & absolute aliquid præcipit aut prohibet, atque sub culpa in conscientia etiam obligat. Alia *Pœnalis*, qua mulcta imponitur. Si præcise pœnam statuit ponenti aliquem actum, quin illum prohibeat, dicitur *pure pœnalis*. Tales dicantur esse plures regulæ religiosarum, & juxta aliquos etiam leges imponentes pœnam venatoribus aut feripetis, aut non solventibus telania, aut exportantibus ex provincia certas merces. E. g. Si lex ita sonet: *qui exportaverit frumentum centum imperiales solvat*.

Si autem simul sit præceptiva & pœnalis, dicitur *mixta*: e. g. Si Princeps dicat: *nemo exportet frumentum: qui autem exportaverit, solvat centum imperiales*.

4. Præter istas datur etiam lex *Irritans*, quæ nempe irritat seu annullat actum. E. g. Lex irritans matrimonium clandestinum, contractum pupilli &c. Verum de his plura deinceps.

5. Dividitur in legem *odiosam*, quæ directe & principaliter tendit in odium alicujus, licet secundario cedat in favorem alterius. Et in *favorabilem*, quæ directe & principaliter lata est in alicujus favorem, licet secundario cedat in alterius odium.

QUÆSTIO III.

De causa efficiente legis.

3. Causa efficiens legis est Legislator. Talis non potest esse persona privata, aut quæ tantum habet potestatem dominativam aut œconomicam, qualem habet *dominus* in servos suos, aut paterfamilias in suam familiam, licet illa mille capitibus constet: quia illis per se non imperat in bonum communitatis, sed in bonum suum privatum: debet igitur legislator habere potestatem Jurisdictionis in communitatem sibi subditam, & quidem in communitatem *perfectam*: qualis non est quælibet multitudo, sed moraliter unita sub gubernante cum potestate publica ad bonum ipsius communitatis. Unde etiam non omnis, qui habet potestatem Jurisdictionis, habet etiam potestatem legislativam, sed debet habere jurisdictionem publicam & sublimem. Nam quilibet Judex, etiam delegatus, habet jurisdictionem, non tamen potestatem ferendi leges.

Quis legislator?

Talem autem potestatem jurisdictionis publicam & sublimem in ordine ad gubernandam communitatem perfectam sibi subditam, bonum ipsius communitatis, habet immediate Deus, & quidem universalem respectu totius generis humani. Ex ab hoc Divino legislatore descendit jus gentium, naturale videlicet, commune omnibus per orbem hominibus, & positivum divinum, quo aut jus naturale magis declaratur, promulgatur, & inculcatur, ut contingit per præcepta decalogi, aut ea etiam præciptuntur a Deo, quæ extra sphæram juris naturalis non comprehenduntur.

Cum autem non sit potestas nisi a Deo, omnis jurisdictio ac potestas legislativa in ordine ad gubernandos populos, qua homines fulgent, est participata quædam & velut delegata potestas a Deo, immenso velut oceano, rivos suos per terras diffundente.

Ab hoc igitur fonte potestas legislativa derivatur in humanum genus; sive dein illa, consentiente populo, sit monarchica, in uno principe collecta; sive aristocratica, ad optimates delata; sive democratica, communitati populi adhærens, sive ex his mista aliqua reipublicæ forma, volente ita populo libero, conflata resultet.

Quia autem duplex potissimum potestas est collata mortalibus, *Ecclesiastica* & *Politica*, seu sæcularis, ideo etiam Deus Ecclesiasticos legislatores dedit (quos inter eminet summus Pontifex, Christi in terris Vicarius) & Politicos, Reges videlicet & Principes, aut liberas per orbem Respublicas. De quibus postea in specie tractandum occurret.

QUÆSTIO IV.

De causa finali Legis.

4. Cum sapiens illa ac provida æterna Mens, consulens humanis rebus, dederit terris Principes, & Rectores populis, ut honeste, rite, & ordinate omnia fiant, sicque bene gubernentur humanæ per orbem societates atque respublicæ, facile datur intelligere, Principes non tam sibi, quam populis vivere, neque tam suam privatam, quam publicam communitatis utilitatem spectare in ferendis legibus oportere.

Finis legis bonum publicum.

Quare finis tam legislatorum quam legum alius esse non potest, quam *bonum commune*, seu bonum communitatis, quod per legem intenditur, quæritur, procuratur, conservatur ac promovetur. Inno ex hac ad bonum commune promovendum aptitudine suam lex *rationabilitatem* assumit.

Unde dispositio Principis injusta, inutilis, noxia publico, non est lex, ex defectu finis.

Verum doctrinæ huic aliqua se opponere videtur difficultas. Nam 1. multæ leges respicere videntur bonum privatum singularium duntaxat hominum, ut pupillorum, minorum, clericorum, nobilium, mulierum. 2. Leges tributorum & vectigalium cedunt in bonum Principis. 3. Privilegium est lex privata, cedens in bonum privatum privilegiati. 4. Lex præscriptionis pluribus est damnosa. Ergo non omnis lex debet tendere ad bonum commune, tanquam ad finem finem.

Resp. Omnes etiam hæ leges respiciunt bonum commune, cum interfit reipublicæ has leges ferri. Nam ad 1. interest reipublicæ certo personarum generi, ut pupillis, minoribus, mulieribus &c. legum auxilio subveniri. Deinde etiam hæ leges feruntur in pupillos &c. sub ratione pupillis communi, & prout constituunt communitatem pupillorum. Ad 2. lex tributorum subditis imponitur, ut Princeps cum necessariis suis administris recte gubernare, &, si opus, defendere etiam contra hostes possit respublicam. Ad 3. pariter exigit bonum publicum, ut privilegiati non impediantur iniquo ab usu sui privilegii. Ad 4. eadem est responsio: nam lex præscriptionis conducit ad tollendas lites, & incertitudines bonorum, ad acuendam industriam & curam civium, adeoque ad bonum publicum.

Dices 1. Jus dividitur in publicum & privatum. Ergo dantur aliquæ leges, quæ respiciunt bonum publicum, & aliæ, quæ respiciunt privatum. Resp. N. c. etiam jus privatum intendit bonum commune civium; & objectum formale, seu motivum & ratio, sub qua in illud fertur, semper est bonum totius reipublicæ. Unde jus *privatum* dicitur, quatenus immediate versatur circa bonum civium: *publicum* vero, quatenus immediate versatur circa regimen & statum reipublicæ.

Dices 2. Datur lex prohibens mendacium, licet illud esset necessarium ad conservationem reipublicæ. Atqui talis lex non haberet pro fine bonum reipublicæ. Ergo non omnis lex debet habere pro fine bonum commune. Resp. Hæc difficultas non est modica, ejusque solutio ex altioribus petenda principiis, quæ parte secunda, ubi de jure naturali disputabitur, proponentur. Interim breviter dico, summum humanæ reipublicæ bonum esse, si ad Deum creatorem ac gubernatorem suum sapientissimum atque sanctissimum, tanquam finem suum ultimum, bene sit comparata, ejusque perfectiones commendet. Atqui non esset talis, si non daretur lex prohibens mendacium, utpote intrinsece malum, depravativum naturæ rationalis, ac perfectioni Divinæ veracitatis ac sanctitatis contrarium: nam si Deus licitum faceret mendacium, redundaret imperfectio in ipsam infinitam veracitatem & san-

Difficultas.